

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Commentarii in primvm, secvndvm, tertivm, et quintum  
Ethicorum Philippi Melanchthonis**

**Melanchthon, Philipp  
Aristoteles**

**Argentinae, 1535**

**VD16 A 3417**

Scholia capituli VII. de ideis

**urn:nbn:de:bsz:31-106587**

IN ETHICA ARIST.

Deinde correctionem addit, Platonis sententiã non omnino absurdam uideri posse, quia profit habere imaginem, in quam intuentes iudicemus quæ sint bona, & quæ dirigant actiones uelut exempla, sed retrahit calculum, sine necessaria ac certa ratione hoc affirmari, quod quædam perfecta imago seu notitia boni concipienda sit, aliena à singularibus, sicut nihil prodest Medico in genere scire, quid sit sanitas, sed sanitatem singulorum considerandam esse in curando.

SCHOLIA CAPITIS VII.

**T**andem peruenit Aristoteles ad definitionem felicitatis, sed priusquam hæc recitat suo more repetit superiores propositiones & admonet duplices esse fines, alios esse ultimos, alios esse gradus ad ultimos fines: felicitas autem ultimus quidem finis est, id est, omnium quæ expetit natura, cui si quid præfertur, contra naturam præfertur, ut quum Cyrus præferbat utilem, sed turpem seruitutem honesto & iusto bello. Postea docet idem significare nomen εὐδαιμονίας quod felicitas significat. Adparet enim quosdam nomine εὐδαιμονίας magis ufos esse. Deinde tradit definitionem.

Felicitas est actio hominis secundum optimam & perfectissimam uirtutem in uita perfecta. Hanc definitionem maxime oportet meminisse, fons est enim

COMMENTARIA

reliquæ disputationis. Porro supra monuimus hinc  
tradi quasdam cōmunes sententias ratione depre-  
hensas, quas qui uelit, possit adpellare leges naturæ  
nam ex his sententijs iura ciuitatū omnia nata sunt.  
Numeretur igitur & hæc definitio inter leges natu-  
ræ, finem hominis seu fœlicitatem, quã uidelicet ra-  
tio comprehendit esse actionem uirtutis. Sicut autē  
non uident Scythæ communem naturæ opinionē de  
hospitiibus defendendis, mactant enim hospites: uel  
quemadmodum Turcæ non uident communem natu-  
ræ opinionē de matrimonio contrahēdo. Ita dis-  
cessit à natura Epicurus, qui uoluptatē honesto præ-  
posuit. Discedit à natura qui utilitatis suæ causa al-  
terum defraudat in contrahendo. Sicut igitur medi-  
co est utile scire positum membrorum in corpore,  
sic nobis in agendo prodest scire has leges naturæ,  
aut saltem in iudicanda natura.

Sed hic oportet nos oculatos esse in discernenda  
hac definitione à Christiana fœlicitate. Nihil hic de  
uoluntate Dei traditur, nihil de timore Dei, nihil de  
fiducia erga Deum. Longe alius finis est, longe alia  
fœlicitas est ostensa à Deo, quàm ea, quam compre-  
hendit ratio. Sic enim inquit Christus: Hæc est uita  
æterna, nosse Deum, & quem misisti Iesū Christū,  
id est, credere, quod propter Christum ignoscat nos  
bis, et diligat nos pater, quod seruet ac iustificet nos

Non

IN ET

Non igitur est  
uili posita, sed in  
hæc efficit Christi  
qui perterreficū  
curfus perter  
fricordiam De  
nouat hominē,  
repectemus: i  
cis amans, cas  
stoteles definit  
erga homines,  
quam autem  
natura docet:  
ciam nihil aliud  
ones cutes.

Præterea  
quod erudit  
fuerit esse. Tres  
vegetatue uita  
dibus habemus c  
lis. Datas forma  
lis dicitur tantu  
sensu quam ob  
pertinenti. Par  
in iudicet, & ag  
cipi & Rur sum

IN ETHICA ARIST.

Non igitur est Christiana felicitas in actione civili posita, sed in fide, seu agnitione Dei &c. Deinde efficit Christianam felicitatem spiritus sanctus, qui per territa corda, ostendit uiciosam naturam, ac rursus per territa corda erigit, quum ostendit misericordiam Dei in Christo. Ita spiritus sanctus renouat hominem, inserit notitiam Dei, ut à Deo bona expectemus: inserit bonos affectus, cor humile, pacis amans, castum &c. At felicitatem quam Aristoteles definit, ratio efficit, suntque honestæ actiones erga homines, quæ in hac civili uita cernuntur. Quamquam autem & has actiones docet lex Dei, sicut & natura docet: tamen errant qui Christianam iusticiam nihil aliud esse somniant, quam istiusmodi actiones civiles.

Præterea in hoc capite dignum memoria est, quod erudite colligit propriam actionem hominis finem esse. Tres enim uitæ gradus facit. Primus est **Tres uitæ**  
 uegetatiuæ uitæ. Secundus est sensitiuæ, hos cum pecu **gradus.**  
 dibus habemus communes. Tertius est uitæ rationalis. Duas formas huius facit. Partim enim rationalis dicitur tantum, quia obtemperat rationi: sic etiam sensus quum obsequuntur rationi, ad tertium gradum pertinent. Partim dicitur rationalis, quod ipsa ratio iudicet, & agat sine aliorum membrorum officijs &c. Rursus ratio duo habet officia: aut enim

deliberat, & iudicat de moribus, aut inquiri-  
 ras rerum, ut quæ Geometrica cōsiderat, aut Astro-  
 nomica. Quia uerò tertius gradus homini proprius  
 est, necesse est in eo foelicitatē collocari. Debet enim  
 foelicitas esse propria hominis actio. Requirit autē  
 perfectā uirtutē in uita perfecta, ne quis foelicē ad-  
 pellet, aut puerū, qui nondū iudicare potest de actio-  
 nibus, aut eū qui semel recte fecerit. Addit prouerbi-  
 um. Vna hirundo nō facit uer, Tēpore igitur & lon-  
 go usu opus est ad solidam uirtutem seu foelicitatem.

DE PRINCIPIIS.

**A**ristoteles admonet in fine septimi capituli, di-  
 genter esse inuestiganda principia in hac ar-  
 te, sicut & in alijs artibus. Nam ea demum ars dicitur,  
 quum ex certis principijs ducuntur necessario  
 ordine quædā conclusiones, seu sententiæ, seu præ-  
 cepta. Id etiam uocârunt methodum docti homines.

Notitiæ  
 principia.

Sunt autē principia notitiæ quædam impressæ diuini  
 animis nostris, quas sine doctore naturaliter te-  
 nemus, sicut naturaliter numerare scimus, sicut na-  
 turaliter uidet oculi, ita natura mēs cernit quæsdā cō-

Principia  
 duplicia.  
 Speculati-  
 ua.  
 Practica.

munes sententiās & c. Dicuntur autē duplicia esse prin-  
 cipia: alia speculatiua, alia practica. Practica sunt, quæ  
 ad mores pertinet, ut, suū cuiq; reddendū est, Magi-  
 stratib; obediendū est. Quæ ad alias artes p̄tinēt, di-  
 cuntur speculatiua, ut, totū est maius qualibet parte.

Sunt

Sunt autem natu-  
 ra quod Aristotel  
 in inductione, ali  
 in uult principia  
 in eis ad sententi  
 carbo cernedi in  
 si, alias consuet  
 sales, seu comm  
 tentie non usur  
 tur autem sensus  
 re sensus seu ex  
 Tunc enim usur  
 aciem, sex natur  
 illius usum. Re  
 cerni, hoc est, el  
 teria. Morali co  
 melius enim uia  
 bonus, gratia pro  
 fuerit reddere, q  
 per perfectius in  
 Est autē hoc ob  
 in artibus, refer  
 ad regulas quas  
 it, quam consen  
 ita certa sunt, ut  
 li dabitatis, q

IN ETHICA ARIST.

Sunt autem natura nota principia sine doctore, sed quod Aristoteles hic inquit, ostendi principia, aliàs inductione, aliàs sensu, aliàs consuetudine, non hoc uult principia probanda esse. Natura enim uultro eis adsentitur. Et Aristoteles prudenter est usus uerbo cernēdi, inquit enim: Cerni principia aliàs sensu, aliàs consuetudine. Nam principia sunt uniuersales, seu communes sententiæ. Porro cōmunes sententiæ non usurpantur, nisi circa singularia, uersatur autem sensus seu experientia circa singula. Quare sensus seu experientia reddit clariora principia. Tunc enim usurpantur, tunc mens exerit illam suam aciem, seu naturale iudicium, quū experitur notitiæ illius usum. Recte igitur dixit Aristoteles, principia cerni, hoc est, clariora fieri cōsuetudine, sensu. In materia Morali consuetudo reddit clariora principia: melius enim uidet uim & pulchritudinem sententiæ huius, gratia pro benefactis reddenda est, is qui consueuit reddere, quàm qui non consueuit. Nam semper perfectius intelligimus ea, quorū habemus usum. Est autē & hoc obseruādum. Omnia quæ traduntur in artibus, referenda esse ad prima principia, tanquā ad regulas quasdam. Tunc sunt firma, tunc sunt certa, quum consentiūt cum principijs. Nam principia ita certa sunt, ut naturaliter illis assentiamur sine ulla dubitatione, quem admodū certa sunt, quæ sensu

comprehendimus. Itaq; monet Aristoteles in hoc loco diligenter esse requirenda principia, in omnibus praeceptis ad principia recurrendū esse: & addidit uenustā sententiā, principium plus esse, q̄ dimidium totius, alludens ad prouerbiū, ἀρχὴ ἢμισυ παντός.

**P**aulatim Aristoteles progressus docuit esse aliquem hominis finem, & constituit quis sit ille finis. Nunc in octauo capite nihil agit, nisi ut suam sententiam aliquo modo cū aliorum opinionibus conciliet. Aliqui uirtutē, aliqui prudentiā, aliqui sapientiam dixerunt esse finem. Aliqui dixerunt uirtutem coniunctam cum uoluptate finem esse. Aristoteles has sententias inquit, propemodum cum sua conuenire, quia oēs eō spectant, quod finis sit in proprijs bonis hominis, non in corporis aut fortunæ bonis.

Secundo nō satis proprie loquuntur isti, qui uirtutem finem esse docent, quia habitus in ociofis esse potest. Itaq; quā actio sit præstantior, magis conuenit, ut actio iudicetur esse finis, ut in olympijs coronatur illi, qui decertarūt, nō illi, qui robore præstant.

Tertio, Voluptas cum honestis actionibus coniuncta est, quia uoluptas est conuenientia actionis cum natura. In sensu uoluptas dicitur, quādo actio conuenit sensui: ut, quum contigit frigido corpori, ut rursus calefiat, sensus afficitur uoluptate. In animo dicitur uoluptas, quando actio conuenit cū electione,

IN ETHICA ARIST.

actione, siue erret, siue non erret mens in eligendo. Ea conuenientia actionis cum natura, aliàs cum sensu, aliàs cum mente dicitur uoluptas.

Sed dicat aliquis: Si uoluptas etiã probatur hoc loco, quid interest inter Aristotelis & Epicuri sententiam, Respondeo hoc interessẽ. Aristoteles docet uirtutẽ esse finem, etiamsi non sequeretur uoluptas. Illa enim est propria hominis actio. Epicurus uirtutem non probat per se, sed ideo tantum, quia efficit uoluptatem, alioqui non probaturus. Qui nõ fuerantur, qui non latrocinantur, hi uiuunt securi, quia hæc uoluptas sequitur. Ideo furari ac latrocinari uetat, non uetat quia per se sint turpia. Præterea Aristoteles uocat uoluptatem conscientie ad probationem. Epicurus uoluptatem uocat non ad probationem conscientie, sed doloris uacuitatem in sensu, aut animo. Ideo uult expeti uirtutem non propter se, sed quia turpitudine sensui cruciatus adfert, quum supplicia luenda sunt, aut animo adfert dolorem: si non adferret dolorem, non requireret uirtutem. Vides ergo multum interesse inter Aristotelis, & Epicuri sententiam. Epicurus uirtutẽ tantũ ad mercedem refert. Aristoteles sequitur naturale iudiciũ rationis, quod simpliciter docet uirtutẽ expetendã esse, etiã si merces nõ respondeat. Ista est germana et uerissima uox nature, quã nõ animaduertit Epicurus.

Tria bono  
rū genera

Quarto, in hoc capite tria honorum genera esse docet: Bona corporis, bona fortunæ, & animi bona: & docet, quod ad foelicitatē requirantur, præter animi bona, etiā bona corporis, & fortunæ, sed tanquā instrumenta finis seu uirtutis. Hic ualde flagellant Aristotelem reliqui Philosophi. Disputant enim, quū natura sit perfecta, posse eā foelicitatē efficere p̄ sese. At si fortuna requiratur, natura nō poterit efficere foelicitatē. Nā fortuna nō est in potestate nostra. Sed in fine huius libri repetetur hæc questio.

Quinto, Nihil habet hoc caput admodum memorabile, præter quandam communem sententiā, quæ sepe citari solet. Vero omnia uera consentiūt, à falsis statim discrepat uerum. Magnus usus huius sententiæ est. Nihil enim uerum esse potest, quod alicubi ab alia uera sententia discrepat. Rursus tanta ueris est, ut tota natura undiq; consentiat. Id quod tum intelligi potest, quādo uera sententiā suo loco in disciplinis ponitur. Ibi enim est uidere, quomodo consentiat cū principijs, ad quæ postremo perueniendū est.

τῶ μὲν ἄλλοις πάντα συνάδει, τὰ δὲ ὑπάρχοντα, τῶ δὲ ψευδῶν ταχὺ διαφωνοῦν ἄλλοις.

SCHOLIA CAPITIS IX.

Vna tantum est ratio iusta docēdi, quā in unaquaq; arte methodum uocant. Vbi res certo ordine traditur, an sit, quid sit, quas habeat causas.

Primum

Primum itaq; docet  
nos fieri. Deinde  
condam perfecti  
foelicitatis. Sic  
firma, & cons  
buz: si qua bo  
uent etiam f  
adit: & tō d  
tationem, ut  
Sepe autem  
mare posse  
ipso in loco fa  
tingant homi  
funt, qui con  
stiana. Quæ  
ne, ἢ longis  
cui aliarū an  
telemicæ, an  
test efficere ca  
precepta cō  
bus moribus  
pronunciat  
te, quod uir  
bilis. Sunt igit  
rationis, &  
rationes quæ

IN ETHICA ARIST.

Primum itaq; docuit Aristoteles esse aliquem hominis finem. Deinde exposuit, quid sit, nempe actio secundum perfectam uirtutem. Hic querit de causis foelicitatis, sit ne foelicitas à Deo, an cõparetur doctrina, & consuetudine nostra. Initio respondet ambigue: si qua bona contingunt homini diuinitus, conuenit etiam foelicitatem à Deo contingere. Postea addit  $\delta\epsilon\pi\omicron\delta\iota\omega\epsilon\iota\mu$ , ait, alterius loci hanc esse disputationem, utrum diuinitus aliquid homini cõtingat. Sepe autem aliàs diximus, Philosophiam nihil affirmare posse de uoluntate Dei erga homines: id hoc ipso in loco facietur Aristoteles, dubitans, an bona cõtingant homini diuinitus. Quare nullo modo ferendi sunt, qui cõmiserunt Philosophiam cū doctrina Christiana. Quid aut̄ intersit inter utrunq; genus doctrinae, q̄ longis interuallis distent, alio loco diximus. Si- cut aliarū artium opera efficere possumus, ut Architectonica, aut Geometriae, ita ratio aliquo modo potest efficere ciuiles uirtutes. Nam ut Architectonicas præcepta cõprehendit ratio, ita præcepta de ciuilibus moribus comprehendit ratio. Itaq; Aristoteles pronunciat hic omiſsa disputatione de Dei uoluntate, quod uirtus seu foelicitas comparetur nostris uiribus. Sunt igitur causæ actionū honestarū iudicium rationis, & uoluntas obtemperans iudicio. Adfert rationes quasdam, quod foelicitas nostris uiribus com-

Philosophia nihil affirmat de uoluntate Dei erga homines.

paretur. Finis in unaquaq; natura debet communis esse omnibus, quorū vires sunt integræ. Sed si uirtus non posset effici nostris uiribus, uerum esset à Deo, non esset cōmunis finis omnīū hominū. Ergo uirtus effici potest à nobis. Item, Que natura aut arte sūt sunt præstantiora, quàm fortuita. Ergo nec fælicitas debet tribui fortunæ. Est enim absurdū, summū bonū causæ tribuere deteriori, nempe fortunæ. Item fortuita sine nostro consilio contingunt. At fælicitas est actio animi, ergo non contingit forte, sed nostris consilijs. Alioquin enim etiā pecudibus tribui nostra fælicitas posset. Hæc in præsentia de hac questione disputat. Nam infra copiosius de causis uirtutis, de ratione, de affectibus qui repugnant rationi, loquetur. Proderit hic meminisse cōmunes propositiones, ut finis cōmunis est omnibus indiuiduis in unaquaq; specie, & similes. Postremo, quoniā in hac questione uersatur disputatio de Libero arbitrio, sciendū est, q̄ etiā scripturæ iudicio ciuiliū uirtutum externa opa aliquo modo naturæ alibus uiribus facere possumus, sicut Geometriæ, aut Architectonicæ opera efficere possumus. Et hæc similitudo uidetur ad huius rei explicationē idonea esse. Proinde cætenus Liberū arbitriū habemus sed sæpe impedimur, quū uincūt affectus, et rapiūt cōtra iudiciū ratiois, ut Medea inquit: Video meliora, proboq; deteriora sequor.

IN ETHICA ARIST.

sequor. Sæpe Diabolus impellit, ne recto iudicio obâ  
 tēperemus. Ita arbores tēpestate impediuntur, ne fe  
 rāt fructus, quos naturaliter parere solēt. Caterū si  
 cut scientia numerandi, metiendi, & similes artes  
 sunt excellētia dona in natura hominis sparsa, ita et  
 uirtus ciuilis est necessaria, & excellens res, & præ  
 stantissimum bonum in carnali natura. Neq; tamen  
 est iusticia æterna, qua coram Deo iustificamur. Nā  
 iusticiam æternam non potest liberū arbitrium, seu  
 ratio per se efficere.

SCHOLIA CAPITIS X.

**I**nitio sententia Solonis refelliur, neminem beatū  
 adpellandum esse ante mortem, & addiur diale  
 ctica ratio, necesse est propositionem de præterito  
 uerā, habuisse aliquam de presenti ueram. Quare  
 necesse est, ut aliquo uite tempore beatus dici potu  
 erit, quem post mortem dicimus beatum. Deinde cō  
 stituit fælicitatē non pendere à fortuna, alioqui bea  
 tus uelut Chamæleon quidam esset, hoc est, subinde  
 mutabilis. Tertio, quanquam sint uariæ fortune ui  
 ces, tamen aliquis poterit existere beatus, quia uir  
 tus est stabile quiddam, & infortunia non excutiunt  
 eam beato, lucet enim in his uirtus. Et hic comparat  
 bonum uirum cubo, qui quoquo modo ceciderit sem  
 per consistit. Ita uir bonus in omni fortuna stat ere  
 ctus. Quarto addit correctionē proximæ sentētiæ.

COMMENTARIA

Magna infortunia, quæ prorsus impediunt honestas actiones, transferunt beatum ad infœlicitatem. Verum id non sit facile. Hic flagellant Aristotelem Stoici, qui contendunt à sola uirtute pendere foelicitatem, fortunam nihil habere potestatis in sapientem, dicunt sapientem, in tauro Phalaridis collocatû beatum fore. Aristoteles ciuilitè intelligendus est foelicitatis causam præcipuam esse uirtutè, sicut in textu inquit. Sed instrumentum est fortuna, quæ si impedit actiones, aliquo modo officit foelicitati, sicut fâber habet causam præcipuam artem, tamen si instrumenta desint, impeditur ars aliquo modo, præcipua pars manet, etiam si gradus aliquis desit.

SCHOLIA CAPITIS XI.

**P**refatur dicendum esse de uirtute, sed uirtutem desinire non posse, nisi antea natura hominis consideretur, sicut & Medico opus est tenere corporum naturas. Porro, supra etiam admonuit tres esse gradus uitæ, Vegetatiuum, Sensitiuum, & Rationè. Harum partiû & hic mentionè facit, & tamen par- titur hominem in duo: in partem rationalem, & partem irrationalem. Irrationales partes sunt, uegetatiuum, & sensitiuum: nam experientia testatur ad- petitionem aduersari rationi. Rationalis pars est proprie iudicium. Est autem duplex irrationale, Vege- tatiuum, quod prorsus ratione non potest regi. Sen- sitiuum

Homo par- titur in duo.

IN ET

scium, quod tam  
rationalis, Ali  
fâlices iudicium  
tenus rationi ob  
sensu, siue sequi  
Exat in fin  
catur ad optin  
gant isti, qui  
immodicis leti  
sputations d  
tentia malit  
nes ubiq; som  
cuius mores  
gello, tanqua  
Sepe aut  
in scriptis est  
us. He manse  
am uero de uo  
Ad hac adfesi  
obserant. Pr  
pienda est de n  
tate aut appet  
significam eu  
em r d b d r  
ma hortatur.  
legi ueram no

IN ETHICA ARIST.

situum, quod tamen patitur se regi. Ita duplex etiã **Rationale**  
 est rationale, Alterum quod in se rationem habet, **duplex.**  
 scilicet iudicium uel mens. Alterum adpetitus, qua=  
 tenus rationi obtemperat, siue sequatur cognitionẽ  
 sensus, siue sequatur cognitionem intellectus.

Extat in fine huius libri sententia. Ratio depre=  
 catur ad optima. Sic enim uulgo citatur. Hanc alle=  
 gant isti, qui liberum arbitrium, seu uires humanas  
 immodicis laudibus uehunt. Et haud sciunt an di=  
 sputationes de synteresi, quam sic uocant, ex hac sen=  
 tentia mali intellecta, natae sint. Nam inepti homi=  
 nes ubiq; somniant, iusticiam Christianam tantũ esse  
 ciuiles mores. Itaq; admiscunt Philosophiam Euan=  
 gelio, tanquam nihil inter hæc intersit.

Sæpe autem diximus, humanis mentibus diuinius  
 inscriptas esse quasdam de moribus ciuilibus notiti=  
 as. Hæ manserunt etiam in corrupta natura. Notiti=  
 am uerò de uoluntate Dei certã non habet per sese.  
 Ad hæc adfectus ne quidem ciuiliũ morũ præceptis  
 obtẽperant. Proinde Aristotelis sententia tantũ accẽ=  
 pienda est de notitia, nõ de notitia Dei, non de uolup=  
 tate aut appetitu aliquo. Ac uero uerba Aristotelis  
 significant eum tantum de notitia loqui, καὶ γὰρ  
 ἐπιτὰ βέλτιστα παρακαλεῖ recta ratio ad opti=  
 ma hortatur. Nam quum ait recta ratio, certe intel=  
 ligit ueram notitiam, seu iudicium, & hortari uer=

COMMENTARIA

bum est monentis, non pertinet ad uoluntatem, seu  
 appetitum, seu affectus. Ad hæc ut largiamur ali-  
 quos honestos affectus existere, hi tantum ad ciuilia  
 officia impellunt. Certe timor Dei ac fiducia erga  
 Deum, non existunt naturaliter in humanis animis,  
 semper presentibus rebus mens humana considerare  
 mauult quam Dei misericordie, ac promissionibus.  
 Semper odit iudicium Dei, ac mallet non subire iudi-  
 cij periculum. Recte igitur dixit Aristoteles, si intel-  
 ligatur de ciuilibus moribus loquutus, de his enim re-  
 cte precipit nobis ratio, tamen si natura in tāta imbe-  
 cillitate non satis gnauius obtemperet. Etingamus  
 eadem uerba legis latorē in Republica dicere, quod  
 optima ciuibus imperet. Vere hoc prædicare Cæ-  
 sar in legibus suis potest, sunt enim digna laude ciui-  
 lia officia, eaq; Deus etiam, ut sæpe dixi, ab omni-  
 bus exigit. Neq; tamen sequitur, propter hos mors  
 coram Deo pronunciarī homines iustos. Neq; hoc  
 sentiebat Cæsar quū leges ferret. Sic igitur ratio præ-  
 cipit de ciuilib. officijs optima, ut inter ea nihil de uo-  
 luntate Dei ista uat, imò etiam de ea hallucinetur, ut  
 docet scriptura, quū ait. Omnis homo mendax, si-  
 gnificat enim neminem recte de Deo sentire, nemi-  
 nem timere Deum, aut considerare Deo.

Sed ex sententia Pauli, Prudentia carnis mors  
 est, uidetur sequi aut nullam existere bonā notitiā in  
 natura

IN ETHICA ARIST.

natura aut illas notitias, non esse furandum, non esse occidendū : et similes leges naturæ, malas esse. Si quis igitur hoc modo ratiocinetur, prudentia carnis est mors, Philosophia seu notitia de moribus, ut non esse furandum &c. est prudentia carnis, ergo est mors. Ad hæc ita respondeo. Totum argumentū concedendum esse. Nam iudicium naturale caret vera Dei cognitione, & honesta opera, quæ ratio per se efficit, fiunt impuro corde, quod ignorat Deum, non timet Deum, non confidit Deo, sed confidit rebus presentibus. Non igitur uiuificat nos, nec sustentat nos, quū à Deo iudicamur, naturale illud iudicium, aut ciuilia officia. Et uacare metu Dei, ac fiducia erga Deum, sunt uerè peccata. Quare ciuilia officia sunt immunda. Et tamen exigit Deus ut præstentur, sunt enim coercendi impij. Atq; ipsa quidem officia bona sunt, quia Deus ea exigit, sed quia fiunt ab impuris, contagione contaminantur. Non recte accipiunt Paulum, qui arbitrantur prudentia carnis tantū illas cupiditates significari, quas ratio etiam improbat, ut libidines, auaritiam, ambitionem. Paulus non de imprudentia hominis sed de prudentia loquitur, hanc ait uacare notitia Dei, timore Dei, & fiducia erga Deum.

R I A  
 uoluntatem, su  
 t largiantur de  
 tantum ad diu  
 ac fiducia erga  
 humanis animis,  
 amana comple  
 e promissio  
 et non subire  
 istoteles, sunt  
 is, de his cōm  
 tur a in tā  
 eret. Ergo  
 ica dicere, qu  
 prædicare De  
 digna laudat  
 e dixi, ab om  
 pter hos mor  
 flos. Neg  
 igitur ratio p  
 erca nihil de  
 allucinetur,  
 o mendax, s  
 sentire, rem  
 2.  
 carnis mors  
 onā notitiā  
 natura